

8, 20

Gymnasium zu Anclam.

1867.

Zu

der am 4. April Statt findenden

öffentlichen Prüfung aller Klassen

und zur

Gedächtnissfeier

der durch göttliche Gnade bewirkten Errettung der Stadt Anclam
von drohender Einäscherung

im Jahre 1713

Freitag vor Judica, den 5. April

ladet

im Namen des Lehrer-Collegii

ergebenst ein

Dr. C. Haeckermann,

Director.

XX.

Inhalt:

1. Quaestiones Lucretianae. Scripsit Dr Bindseil.
2. Schulnachrichten. Vom Director.

ANCLAM.

Gedruckt bei W. Dietze

1867.



gan
3 (1867)

Gymnasium zu Siedlitz

1837

den 2. April 1837

Öffentliche Prüfung aller Klassen

Gedächtnisrede

bei der öffentlichen Gedächtnisrede...
am 2. April 1837
Freitag, 7. April 1837



im Namen des Lehrers...



Lehrer...

...

...

...

...

Quaestiones Lucretianae.

T. Lucretius Carus postquam libro primo carminis de rerum natura exposuit esse rerum principia aeterna et immutabilia, quibus omnia nascerentur et in quae reciderent, eaque esse corpora infinita, individua, prorsus solida duraque, libro secundo singulas atomorum proprietates et virtutes explicat, quae explicatio quomodo a poeta libro primo praeparata sit, jam alio loco docui*). Quamquam autem Lucretius jam libro primo qualitates rerum in atomis esse saepe negavit,**) tamen antequam hoc decretum comprobet, de iis affectionibus, quae quidem sunt atomorum, disputat. Et recte quidem. Nam id ipsum ad atomorum proprietates, quas concedit, rerum qualitates facillime revocari posse nihilque esse, quod cogat, ut hae atomis tribuantur, poetae gravi argumento est, quo atomos rerum qualitatum expertes esse probet. Epicurus autem atomis, quas corpora esse docet, quibus nihil vacui admixtum sit, quae prorsus solida natura sint neque dividi possint, sed aeterna immutabilitate polleant,***) praeter has virtutes, quibus solas atomos praeditas esse resque genitas egere censet, pondus, magnitudinem et formam attribuit. Scribit enim in epistola ad Herodotum data haec: *Καὶ μὴν καὶ τὰς ἀτόμους νομιστέον μηδεμίαν ποιότητα τῶν γαινομένων προσέχεσθαι, πλὴν σχήματος καὶ βάρους καὶ μεγέθους καὶ ὅσα ἐξ ἀνάγκης σχήματος συμφυῆ ἔστι.* Diog. Laert. X, 54†). Quae postremo affert, prorsus eadem atque forma sunt sicut laevis, asperitas, alia ejusdem generis ††). Neque vero Lucretius ea sejungit a forma dicens haec:

*) vid. Dissertat. inaug. quam edidi Halae 1865, p. 32—34.

***) I, 770—781 cf. 847—858.

††) Plut. de plac. philos. I. 3. Diog. Laert. X, 41.

†) cf. Plut. ib.

††) cf. Gassendi animadv. in librum X Diog. Laert. p. 307. sqq.

atomorum motus causam invenit, nempe gravitatem, qua atomos quum inane nullo modo resistere posset, moveri necesse esse censuit. Epicuro igitur externa motus causa opus non est, quoniam motum ad ipsam corporis et vacui naturam refert. Neque vero ex alia re quam e corporis pondere motus causam repetere potuit. Nam quum statueret praeter atomos nihil esse nisi inane, et inane quum agere non posset, motum efficere non posse intelligeret, in ipsis atomis causam motus ponere debuit, ad quem etiam vacui natura quasi nihil agendo valeret. Sic igitur Epicurus in una re materiem et vim rerum posuit: decrevit enim atomos et materiem esse, e qua res constarent, et vim continere, qua res procrearentur, i. e. pondus et qui eo efficitur motus*). Praeterea Epicurus id effecit, quod Democritus secutus est, et propter quod motus causam quaeri noluit, motus atomorum principio carere et ex aeterno tempore esse, de qua re postea exponam. Iam videamus, quomodo Lucretius doctrinam de motu tractaverit.

Is ergo postquam quasi prooemio, ut solet, acute et subtiliter quid exquirendum esset definivit lib. I. v. 62—66 et ex perpetua rerum vicissitudine aeternaque materiae immutabilitate atomorum motum deduxit v. 67—79**), de variis atomorum motus generibus brevissime et quasi capita rerum attingens***) exponit v. 80—88†). Duo autem

nihil est, quod agat? Fortasse vox *πληγή* nihil aliud est quam illius universalis motus significatio, ita ut non causam motus indicet, sed motum ipsum comparatione quadam illustret.

Ex omnibus autem, quae exposui, apparet, quum Democritus nec de prima motus causa nec de ipsa motus natura certi et definiti quid statuerit et clarius tantum de singularibus motibus dixerit, de quorum variis generibus multo uberius quam Epicurus disseruisse videtur (vid. quae Diog. Laert. IX, 31 — 33 de Leucippo tradit), etiam ea, quae veteres de Democriti sententia tradunt, incerta et obscura esse.

*) De hac re non recte iudicat Cicero de fin. I, 6, 18.

**) Argumentatio in hoc posita est: Quod videmus res minui vel tolli easdemque crescere et augescere, summam autem rerum nec extenuari nec augeri sed immutabilem esse et incolumem manere, nulla alia ex causa effici potest, quam motu atomorum, quae si de re qualibet decedant, deminutionem quidem efficiunt, eadem autem ad aliam rem accedunt, quae eadem ratione, qua illa imminuta est, augetur.

***) Quam brevis Lucretii de hac re expositio sit, melius intelligitur, si cum aliis philosophis comparatur. Vid. Sext. Emp. adv. mathem. X, 37 sqq. et Stob. ecl. phys. I, 19.

†) Brieger in luculentis et acutis adnotationibus ad librum secundum Lucretii, quas ipse et Susemihl ediderunt in Philolog. XXIV, 3., novam loci interpretationem protulit. Censet enim vocem „cessare“ non ad quietem spectare sed significare „temere volitare“ et locum sic interpretandum esse: „Wenn du meinst, durch (willkürliches) hin- und herfliegen könnten die urkörper neue bewegungen der dinge schaffen, so irrst du. Da sie durch das leere schweifen, so kann ihre bewegung nur die des falls oder die des abpralls sein“. Hanc interpretationem, quam Brieger tribus argumentis comprobare conatur, quamquam iam Susemihl mihi recte refutavisse videtur, tamen his, quae Susemihl contra primum et gravissimum Briegeri argumentum dicit, haec addam. Brieger enim ait: „Wenn man cessare und cessando hier durch „stille stehen“ (IV, 391-389 Bern.) „ruhen“ oder dgl. erklärt, so entsteht ein unlösbarer widerspruch. Der dichter würde nämlich dann das, was er doch eben erst beweisen will (nam v. 83.) ja schon voraussetzen, denn er geht ja in diesem beweis gleich davon aus, (quoniam per inane vagantur, 83), dass die atome (beständig) das leere durchfliegen, und darin ist ja die unmöglichkeit, die atome könnten ohne bewegung novos rerum progignere motus bereits eingeschlossen“. At Lucretius

motus genera ex Lucretii verbis itemque ex Epicuro apud Diogenem Laertium*) cognoscuntur: alterum naturale et principale, quod ad pondus pertinet, alterum reflexum et secundarium, quod duarum atomorum concursu efficitur. Duae enim atomi inter se concurrentes, quum corpora non aliter nisi per inania intervalla penetrari possint**), quumque atomi nihil vacui contineant, sed prorsus solida sint, inter se penetrare non possunt, sed quoniam inani non retinentur, in diversas regiones dissiliant necesse est. Sic igitur ex concursu atomorum etiam ii motus oriuntur, qui fiunt sursum et in latus, quum pondere atomi deorsum tantummodo ferantur***). Quod autem Epicurus naturalis motus duo genera statuit, quae κατὰ σιάνθημην et κατὰ παρέγκλισην appellat †), Lucretius eo loco, de quo agimus (II, 80 — 88), primum tantummodo motum dixit, quo atomi deorsum e regione ferantur et ad lineam, et de altero alio loco disputat. Epicurus autem etiam ejus motus, qui ex concursu oritur, duo genera esse voluit, alterum, quod κατὰ πληγήν vocavit, alterum, quod κατὰ παλμόν vel ἀποπαλμόν dixit ††). Quorum

atomorum motum, quem jam v. 67—79 comprobavit, nec hoc loco nec ullo alio argumentorum eorum, quae sequuntur, efficere vult. Hoc loco postquam illud Stoicorum placitum a veritate longe abesse non rationibus probavit sed tantummodo affirmavit, suam de motu ejusque variis generibus doctrinam profert, sicuti deinde v. 89—96 de perpetuitate atomorum motus, v. 97—141 de variis generibus motuum eorum, qui concursu atomorum fiunt, v. 142—164 de celeritate atomorum motus, v. 184—215 de placito nullam rem sua vi sursum ferri posse, v. 215—293 de declinatione atomorum, denique v. 294—332 de omnis immutabilitate et quiete quae videtur exponit. Nusquam igitur argumenta, quibus tantum id efficere poeta vellet, ut atomi moveantur.

*) Postquam nonnulla de atomorum motu tradidit, haec praebet §. 44: Ἡ τε γὰρ τοῦ κενοῦ φύσις ἢ διορίζουσα ἐκάστην ἄτομον, τοῦτο παρασκευάζει, τὴν ὑπέρεισην οἴχ' οἷά τε οὐσα ποιέσθαι, ἢ τε στερεότης ἢ ὑπάρχουσα αἰταῖς κατὰ τὴν σύγκρουσην τὸν ἀποπαλμόν ποιεῖ, ἐφ' ὅπόσον ἂν ἡ περιπλοκὴ (cf. §. 90 δίνης) τὴν ἀποκατάστασιν ἐκ τῆς συγκρούσεως διδῶ.

**) De hac re Lucretius jam libr. I, v. 532 — 537 exposuit.

***) Diog. Laert. X, 61. Etiam ex Plutarcho cognoscitur Epicurus diversas regiones, in quas atomi moventur, e diversis causis et generibus ipsius motus deduxisse. Sunt enim apud Plutarchum de plac. phil. I, 1 haec: Κινεῖσθαι δὲ τὰ ἄτομα, τὸ μὲν κατὰ σιάνθημην, τὸ δὲ κατὰ παρέγκλισην, τὰ δὲ ἄνω κινούμενα, κατὰ πληγήν κατὰ παλμόν. Primum Plutarchus duo genera naturalis motus avert, quibus motus is, qui deorsum fit, efficitur — ad alium enim motum verba spectare non possunt — ita ut hoc loco duae contrariae regiones motus inter se comparentur, altera ejus motus, qui deorsum fit, altera ejus, qui sursum fit. Sic locum intelligo, quem Reiske non recte interpretatus esse mihi videtur. Ceterum existimandum non est impulsionem atomorum nullum alium motum effici nisi eum, qui in superiorem regionem fit, immo Epicuri sententia est eum motum, qui fit sursum, tantummodo pulsu gigni, non gravitate vel declinatione.

†) Plut. ib. Eadem fere verba, quae sunt apud Plutarchum, Stobaeus ecl. phys. I, 14, 1 habet. Cf. ib. I, 19, 1.

††) Apud Plutarchum l. l. vox „παλμός“ invenitur, apud Stobaeum l. l. et Diog. Laertium X, 44 vox „ἀποπαλμός“.

Ceterum Epicurus quum de motu disputat, semper motum localem dicit, de qua re postea.

Aristoteles tria motus localis genera esse voluit. Sunt enim apud Stob. ecl. phys. I, 19, 1 haec: Ταύτης

discrimina Gassendus sic exponit: „Ita Epicuro resiliō illa *κατὰ πλεγγὴν* dicitur, quae fit ex incurso atomi unius in aliam versus locum dissitum seu per notabile intervallum, illa vero *κατὰ παλμόν*, quae brevi spatio terminatur; idque, cum atomus resiliens incidit statim in aliam, a qua denuo repellatur, et rursus a tergo in aliam, a qua iterum revibretur atque ita consequenter, ut proinde creetur quaedam veluti successio atque palpitatio.“ Animadv. p. 216. Huc etiam ea spectare mihi videntur, quae Epicurus apud Diog. Laert. X, 43 tradit: *Καὶ αἱ μὲν* (sc. *ἄτομοι*) *εἰς μακρὰν ἀπὸ ἀλλήλων δι- στανταὶ αἱ δὲ ἀντὶ τὸν παλμόν ἴσχουσιν, ὅταν τύχῃσιν ἐπὶ τὴν περιπλοκὴν κεκλιμένα ἢ στεγαζόμενα παρὰ τῶν πλεκτικῶν*. Eadem genera motuum vel potius concursuum Lucretius quamquam nominibus non afficit sed notione eorum complectitur, quae fiunt ictu alterius, tamen describit V. 97 sqq., de quibus quum postea exponam, hoc loco id tantum moneo, quod Lucretius figuram non spectat, quamquam Epicurus l. l. eam respicit, mirum non esse, quippe qui postea demum de figura atomorum disputet.

Sed Lucretius ad motus definitionem aliud placitum adjicit. Censet enim, quum in omni infinito nihil nec summum nec infimum sit, numquam fore, ut atomi quiescant, sed eas in perpetuo motu esse debere, quoniam semper in iis pondus valeat et inane semper cedat neque umquam obstet, ita ut locum consistendi nullo modo assequi possint II, 89 — 96. Quam doctrinam Lucretius jam libro primo attingit eo loco, quo e perpetuo atomorum motu, sine quo res neque creari neque conservari posse putat, omne infinitum esse existere docet*). Libro igitur secundo ratiocinationem invertit demonstrans ex universi infinitate perpetuum atomorum motum intelligi necesse esse. Epicurus**) autem doctrinam, de qua agimus, sic exprimit: *Κινοῦνται τε συνεχῶς αἱ ἄτομοι* (apud Diog. Laert. X, 43), in qua movendi perpetuitate etiam eas atomos esse, e quarum conjunctione res constant, Epicuri arbitrari infra docebimus, quum Lucretius l. l. eas tantummodo atomos dicere videatur, quae nondum conjunctae per inane profundum singulae ferantur.

Ex universi autem infinitate, qua motus perpetuitatem effici docuit, Epicurum etiam

δὲ (sc. *τῆς κινήσεως κατὰ τόπον*) *τρῆς εἶναι διαφορὰς, ὧν δύο μὲν ἀπλᾶς, τὴν τε κατ' ἐνθεῖαν καὶ τὴν ἐν κύκλῳ, μίαν δὲ μικτὴν· ἐνθεῖαν μὲν τὴν ἄνω καὶ κάτω κατὰ τε κορυφίτητα καὶ βαυήτητα τῶν σωμάτων, ἐν κύκλῳ δὲ τὴν περιφερῆ, μικτὴν δὲ τὴν κατ' ἔγκλισιν*. Praeterea tres regiones describit, in quas motum localem fieri censet, de qua re vide p. sq. not. 6. Apollodorus, cui solus motus localis placuit, duo motus genera esse censuit *τὴν τε κατ' ἐνθεῖαν καὶ τὴν ἐγκύκλιον*. Stob. ecl. phys. I, 19, 7. Alii aliter de hac re decreverunt. De circulari motu, quem Aristoteles, Apollodorus, alii docuerunt, nihil apud Epicurum vel Lucretium invenitur.

*) I. 992 — 997.

**) Etiam Democrito atomos perpetuo moveri placuit. Aristot. de caelo III, 2.

id conclusisse verisimile est, motus nullum principium locale esse: temporale certe initium atomorum motus fuisse negat hisce verbis: Ἀρχὴ δὲ τούτων (sc. motuum eorum, qui descripti sunt) οὐκ ἔστιν αἰτίων τῶν αἰόνων οὐσῶν καὶ τοῦ κενοῦ. Diog. Laert. X, 44. Hoc effectum, quod quidem facillime ex atomorum et vacui natura deduci potest — motus enim in atomorum gravitate et vacui cessione positus est; gravitas autem et cessio ex aeterno tempore in atomis et vacuo sunt, ex quo efficitur motum ex aeterno tempore esse — hoc igitur effectum Lucretius tantum singulis vocibus indicat, veluti dicit primordia volitare „aeterno percita motu“ II, 1055.

In disputatione autem de atomorum celeritate discrimen aliquod est inter Lucretium et Epicurum, quod discrimen eo effectum est, quod Lucretius libro demum quarto doctrinam de simulacris tradidit*). Horum enim auxilio Epicurus atomorum celeritatem comprobare conatus est**); Lucretius autem illa argumentandi ratione missa adhibet argumentum ex lucis celeritate ductum. Lucis enim, quam ex moleculis quibusdam ex sole profluentibus constare Epicurus censuit, velocitate descripta demonstrat, quum lux maxima sit celeritate, quamquam non per inane sed per aëra motui officientem volitet et partes habeat, quae nec simplices sint nec singillatim ferantur sed compositae sint ex atomis diversas regiones petentibus et inter se retinentibus: multo celeriores motum futurum esse atomorum, quae quum per inane moveantur, a nulla re retardentur, et quum solida simplicitate sint et „sine partibus una“***), inter se non retineant sed eam solam regionem petant, quam petere coeperint†) II, 142–164. Eodem exemplo Lucretius libro quarto ††) utitur, ut simulacrorum celeritatem probet, ex quibus Epicurus atomorum velocitatem repetit.

Lucretius autem postquam res corporeas numquam sua vi sursum ferri demonstravit †††), ad extremum aliam eamque gravissimam movendi causam tractat.

*) Cf. quae de hac re dixi dissert. inaug. pag. 18.

***) Epicurus apud Diog. Laert. X, 46, sqq.

****) Sic enim Brieger l. l. p. 431 bene censet scribendum esse. Vide etiam luculentam loci expositionem, quam praebet Susemihl ib. pag. 430.

†) Similiter Epicurus apud Diog. Laert. X, 46. Leguntur enim haec: Καὶ μὲν καὶ ἴ δια τοῦ κενοῦ φορὰ καὶ μὴδεμίαν ἀπάντησιν τῶν ἀντικοψάντων γινομένη, πᾶν μήκος περιληπτὸν ἐν ἀπερινοήτῳ χρόνῳ συντελεῖ.

††) V. 183 — 196; 197 — 206.

†††) Haec contra Stoicos disputantur, quorum sententia quae fuerit, ex hisce verbis, qui sunt apud Stob. eclog. phys. I, 19, 4, perspicuum est: Οὐ πάντως δὲ σῶμα βάρος ἔχειν, ἀλλ' ἀβαρῆ εἶναι αἲρα καὶ πῦρ· γίνεσθαι δὲ καὶ ταῦτά πως ἐπὶ τὸ τῆς ὅλης σφαίρας τοῦ κόσμου μέσον, τὴν δὲ σύστασιν πρὸς τὴν περιφέρειαν αὐτοῦ ποιῆσθαι. φύσει γὰρ ἀνόφοιτα ταῦτ' εἶναι διὰ τὸ μηδενὸς μετέχειν βάρος. Res clarius adhuc intelligitur ex iis, quae Cicero de nat. deor. II, 45 Lucilium Balbum dicentem facit. Is enim omnes terrae partes itemque mare medium terrae locum expetere, aëra autem levitate sublimis ferri docet.

Epicurus enim, quum illud occurreret, si omnia deorsum e regione ferrentur et ad lineam, numquam fore, ut atomus altera alteram posset attingere*), atque quum vereretur, ne si semper atomus gravitate ferretur naturali ac necessaria, nihil liberum nobis esset, quoniam ita moveretur animus, ut atomorum motu cogeretur**), neve quidquam in nostra potestate esset, sed omnia necessitati euidam et fato subjecta essent, invenit quo modo atomos in complexiones redigeret, libertatem voluntatis tueretur necessitatemque fati effugeret. Declinare enim dixit atomos paululum***), quum pondere et gravitate directa deorsum ferrentur, incertis locis et temporibus.

Huic doctrinae quae quum ab aliis tum a Cicerone †) objecta sint, nemo nescit. Nec injustae sunt illae vituperationes. At Epicurum quum atomos gravitate moveri statuisset, quo placito effecit, ut vis, qua res gererentur, ipsi materiae inesset, et doctrinam Democriti simpliciore melioremque reddidit: si atomorum complexiones efficere necessitatemque et fati et voluntatis humanae vitare voluit, ad illam qua omnem naturae ordinem et constantiam tolli negari non potest, declinationem vel ad simile placitum confugere necesse fuit. Atque quod Epicurus declinationis causam reddere non potuit, id quod optare esse, non disputare Cicero dicit ††), Gassendus „in concretionibus quidem“, inquit, „seu in rebus compositis reddere rationem diversarum affectionum ex assumptis principibus aliquatenus possumus, at de ipsis principibus dicere nihil aliud licet, nisi quod haec isto, illa illo modo se habeant ex suae naturae necessitate, cum ignoremus germanam causam, ob quam ita se habeant, immo cum ea frustra quaeratur, nisi sit eundem in infinitum.“ Animadv. p. 214 †††)

Ceterum Aristoteles in simili sententia fuit. Sic enim apud Stob. l. 1. l. 19, 4: *Τῆς δὲ κατὰ τόπον κινήσεως τὴν μὲν ἀπὸ τοῦ μέσου γίνεσθαι, τὴν δὲ ἐπὶ τὸ μέσον, τὴν δὲ περὶ τὸ μέσον. πρὸς μὲν οὖν καὶ ἀέρος ἀπὸ τοῦ μέσου, γῆς δὲ καὶ ὕδατος ἐπὶ τὸ μέσον, τοῦ δὲ ὅλου περὶ τὸ μέσον.* Cf. etiam ea, quae dicit de coelo IV, 5.

*) De finib. I, 6.

**) De fato, 10.

***) De nat. deor. I, 25.

†) Praeter loc. l. vid. de fato, 9, 20.

††) ib.

†††) Steinhartum quum in commentatione, quam scripsit de Epicuro (Allgemeine Encyclopaedie der Wissenschaften und Künste herausgegeben v. Ersch und Gruber) p. 474, postquam Epicuri de declinatione doctrinam enarravit, sic iudicat: „So suchte er (Epicurus) Unerklärbares durch ein noch viel Unerklärbareres klar zu machen, ohne zu sehen, dass er hiermit nicht nur ebenso wenig vom eigentlichen Grund der Bewegung sage, als Democrit, sondern auch das Gesetz der Schwere willkürlich umstosse“ recte iudicare non est infitiandum. At contra ea, quae addit: „und ohne sich vor dem leicht zu findenden Einwurfe zu hüten, dass ja, wenn alle Atome diese Declination hätten, sie wieder nicht zusammentreffen könnten, wo nicht, dann wieder die Ungleichheit der

Sed videamus, quomodo Lucretius doctrinam de atomorum declinatione tractet. Qui postquam certis et definitis et paucis verbis, ut solet, rem ipsam descripsit v. 216 — 220, primum affert, quod est gravissimum argumentum et in eo positum, quod atomi si omnes ad perpendicularum deorsum ferrentur, numquam inter se neque contingerent neque conjungerent, ex quo fieret, ut nulla res crearetur v. 221 — 224. Quod autem aliquis interponat atomos graviore quum celerius moveantur, leviores consequi posse, ita ut sine declinatione inter se collidantur, Lucretius aequabili atomorum velocitate, quae fit in vacuo, repellere conatur v. 225 — 242. Eodem igitur argumento utitur atque Epicurus*) apud Diogenem Laertium X, 43, ubi leguntur haec: *Φησὶ δὲ ἐνδοτέρω καὶ ἰσοταχῶς ἀντὶς κινεῖσθαι, τοῦ κενοῦ τὴν ἴξιν ὁμοίαν παρεχομένου καὶ τῆ κορυφαίῃ καὶ τῆ βαρυστάτῃ εἰς τὸν αἰῶνα.* Idem alio loco hanc de motus aequabilitate doctrinam uberius tractans**) non solum naturalem motum, qui gravitate deorsum fit, sed etiam eum motum, qui ictu alterius sursum et in latus efficitur, respicit; Lucretius autem illius tantum motus, quem primum nominavi, rationem habet, quod quidem de causa certa et in consilio suo sita facit. Etenim quum Epicurus motus aequabilitatem narret declinationem atomorum negligens, Lucretius illa ipsa efficere vult hanc necessariam esse. Itaque in ipsa de aequabili motu disputatione, quam tantummodo eo consilio instituit, ut sine declinatione concursum atomorum non fieri demonstret, ejus motus, qui ex illo quem declinatione efficere conatur concursu oritur, rationem habere non potest. Ex eadem causa fit, ut Lucretius hoc loco nihil de atomorum aequabili motu, qui in concretionibus fit, tradat, quamquam Epicurus de illa atomorum aequivelocitate exposuit. Nam is non id agit, ut motus aequabilitate declinationem confirmet, qua quidem demum atomorum conjunctiones efficiuntur, quibus res procreantur.

Decretum autem ipsum Epicuri in concretionibus atomos semper aequabiliter moveri sic Gassendus explicat: „In concretionibus atomi continuo moventur propter inania spatiola insensibilia quidem sed intercerpta tamen, ac omnes illarum itus reditusque intra angustissimos quidem fiunt terminos, sed pro ratione tamen spatiorum tam sunt semper et veloces et aequiveloces, quam si intra limites distantissimos per inane immensum fierent“. Animadv. p. 445.

Neque vero alio loco illud placitum atomos in concretionibus aequabili motu esse Lucretius tractat. Atomos autem in ipsis rebus genitis perpetuo moveri tantum illo

Bewegung zu erklären bleibe“, monendum est, Epicurum illam dubitationem removisse eo, quod atomos incertis temporibus et locis declinare docuit eumque sane temerariae declinationis causam non reddidisse sed non minus quam ipsius declinationis. Posuit enim declinationem, quae temere fieret et sine ulla constantia ac lege.

*) In hac re Epicurus a Democrito recessit, qui in atomorum variis formis non solum positum esse censuit, quas regiones atomi peterent, sed etiam utram celerius an tardius moverentur.

**) Dig. Laert. X, 61 sq.

loco *) indicat, quo ostendit summam quietem hanc solam ob causam esse videri, quia atomorum motus in sensus non cadant. Ubi enim antea de atomorum perpetuo motu agit, eas tantummodo atomos respicit, quae per inane immensum feruntur**).

Ramentorum solariorum autem exemplum***) huc non spectat, quippe quo postquam de densis et raris corporibus expositum est, earum atomorum motus explicetur, quae nunquam ad ullius rei procreationem sive densae sive rariae conveniunt †). E quibus omnibus intelligitur Lucretium atomorum motum, qui in concretionibus fit, paene prorsus et neglexisse et omisisse. Ex iis autem, quae Lucretius et Epicurus de aequabili motu leviorum et graviorum atomorum tradunt, facillime apparet eos atomis diversa pondera tribuisse ††). Majores enim atomos graviores quam minores esse docentes pondus atomorum ad magnitudinem revocaverunt, proinde atque omnium rerum, quae ex eadem materia constarent, pondus ex magnitudine pendere sciverunt.

Sed ut ad Lucretii de declinatione disputationem redeamus, altera causa, quam affert, ex libera voluntate repetita est. Primum enim demonstrat Lucretius, si atomi nonnisi pondere et ictu itaque interna et externa necessitate moverentur, neque bestiis neque hominibus, qui quidem ex atomis compositi sint, alium motum relictum iri, quam qui necessitati subjectus esset. V. 251—260. Deinde ostendit esse alium motum eumque liberum, qui voluntate efficiatur. Quod ita esse exemplo equi curulis de bestiis confirmat v. 263—271; hominum autem liberam voluntatem comprobatur exponendo, quid inter eum motum, qui vi efficiatur, et eum, qui nulla externa vi fiat, intersit. Concludit enim hoc modo: „Si externa vi movemur, id fieri sentimus aliquo in pectore repugnante et saepe hoc, quod repugnat, motus vi effectos vel cohibet vel mutat. Iam vero saepe sine externa vi movemur quovis tempore et in quamvis regionem nullam in nobis repugnantiam sentientes. Hic igitur motus longe ab illo differt, qui necessarius est; nascitur enim ex libera voluntate“. V. 272—283. Tertia denique argumentationis pars in hac conclusione posita est: „Liber motus impulsione externa procreari non potest, alioquin in nobis quidquam resisteret. Neque vero atomorum gravitate effici potest, quod si fieret, nonnisi certi ac definiti motus essent. Atqui liberi motus causam esse eamque

*) II, 308—332.

***) I, 992—997; II, 89—96; cf. p. 12.

*) Eodem exemplo Democritus usus est (Aristot. de anim. I, 2), in quo eum Metrodorus et Epicurus secuti sunt. Cf. Gassend. animadv. p. 220.

†) II, 109—141.

††) Lucretius id ipsum affirmat, atomos pondere inter se differre II, 725 sq. In eadem sententia Democritum fuisse cognoscimus ex Aristot. de gener. et corr. I, 8. Cf. Theophr. de sensu, 61.

in atomis positam necesse est. Quae quum ita sint, putandum est atomos sua sponte nec ulla vi coactas interdum de via declinare. Hinc igitur fit, ut animantium motus liber sit nec ulla vi vel necessitate astrictus“. V. 284–293. Ex qua argumentatione perspicuum est Lucretium quum atomorum declinationem liberae voluntatis, ad quam animantium motum revocat, similem reddat, quamquam atomis omnem sensum ac mentem adimit, tamen iisdem si non ipsum sensum at certe simile quoddam et tale tribuisse, quale in solis animantibus esse potest. Sic igitur, ut verbo rem conficiam, Lucretii atomi ipsae animantium similes fiunt*).

Totam autem de declinatione disputationem Lucretius ad Epicuri exemplum exprimit. Attamen duabus in rebus a magistro, quamquam perpaulum, differre videtur. Primum enim magis quam Epicurus in eo haesitare videtur, quod declinatio atomorum eum rerum experientia pugnet**), ideoque id maxime premere, semina deorsum tendentia a directa via aberrare, quam minimum cogitari possit, quamquam negandum non est etiam Epicurum ponere atomos declinantes intervallo minimo, quod appellat „ἐλάχιστον“***). Deinde Lucretius quum atomorum declinationem inducit, minus necessitatis, quae est in fato, metu quam liberae hominum voluntatis tuendae studio ducitur †); Epicurus ††) autem illam de atomorum declinatione doctrinam potissimum hoc consilio commentus est, ut fatum removeret, cui omnia subjectum iri censuit, si ordinata ac sempiterna causarum serie regerentur. Quin etiam ex declinatione casum deduxit †††), quum Lucretius non solum naturae ordinem et constantiam agnoscat, verum etiam vim quandam abditam esse, qua hominum vita regatur, contendat. Sed de hac re postea plura. Iam alia quaestio restat.

*) II, 259 sq. 284. 292 sq.

**) II, 219 sq. 243–250.

***) Cic. de fato, 10; Plut. de sollert. anim., 7.

†) II, 288–293: Ponderis enim prohibet ne plagis omnia fiant
externa quasi vi: sed ne mens ipsa necessum
intestinum habeat cunctis in rebus agendis
et devicta quasi id cogatur ferre patique,
id facit exiguum clinamen principiorum
nec regione loci certa nec tempore certo.

De libera voluntate cf. III, 251 sqq. 319 sqq. Ceterum ad hoc Lucretii studium, quo liberam animi voluntatem vindicat, multum poetae, hominis Romani, severitas et gravitas valuerit.

††) De Epicuro similiter iudicat Steinhart I. l. p. 474 not. 2.

†††) Diog. Laert. X, 133 sq.; Plut. de sollert. anim., 7. Ritterus constantiam naturae a Lucretio magis quam ab Epicuro defendi recte affirmat, at errat, quum Lucretium declinationi magis quam magistrum favere iudicat. In iis locis, quos Ritterus Gesch. d. Philos. III, 482 not. 1 et 4 affert, Lucretius declinationem omnino non respicit, sed de pondere dicit. Cf. Ritt. ib. IV, 92–94.

Lucretius et quem secutus est, Epicurus ex universi infinitate concludunt in universo nihil nec summum nec infimum nec medium esse. Nam has notiones quum ei rei, cui tribuantur, finem ponant, in infinitam rem nullo modo cadere censent. Atqui atomos ex superiore regione in inferiorem ferri docent. Itaque quaerendum est, quomodo ab Epicuro et Lucretio universi superior et inferior regio dicatur.

Universi infinitati conveniens erit regionem superiorem et inferiorem si quando in universo esse dicuntur, non re vera exstare sed comparatione tantummodo effici, ita ut omnes regiones, quaecumque sunt, superiores nominentur, e quibus atomi adveniunt, et omnes inferiores appellentur, in quas atomi abeunt. Hanc Epicuri sententiam fuisse Fayus censet. Sed recte eum Creechius*) retellit. Nam ut omittam ipsa verba Epicuri et Lucretii cum ista interpretatione pugnare, atomi si in diversissimas regiones ferrentur nec e certa regione directae ad perpendicularum, facillime concurrerent, nec esset, cur declinatio atomorum introduceretur. Ex quo apparet Epicurum quum deorsum atomos ferri dicit, a communi hominum opinione non recedere, sed esse revera universi certam superiorem et inferiorem regionem putare. In eadem sententia Lucretium versari maxime ex eo loco intelligitur, quo nullam rem sua vi sursum moveri ostendit et atomos respiciens haec affirmat:

Nec tamen haec, quantum est in se, dubitamus, opinor,
quin vacuum per inane deorsum cuncta ferantur**). II, 201 sq.

Atque ex his versibus:

Nec tellus obstat quin omnia dispiciantur,
sub pedibus quaecumque infra per inane geruntur. III, 26 sq.

etiam id perspicuum est, Lucretium atomorum motum ad terram revocare, ita ut atomos eodem modo moventes faciat atque quae ex superiore loco in terram incidere dicuntur***).

Epicurus et Lucretius igitur quamquam universum infinitum esse statuunt, tamen eidem duas certas et definitas regiones esse censent: alteram superiorem, ex qua atomi adveniant, alteram inferiorem, in quam abeant. Epicurus autem quum superiorem et inferiorem regionem non nisi finitis rebus esse sentiret, eo loco, quo de duplici regione agit, secundum quam atomorum motus perpendicularis fit, id maxime negat, se infinito omni ullum finem ponere, si voces „*ἄνω*“ et „*κάτω*“ usurpet. Leguntur enim apud Diog. Laert. X, 60 haec: *Καὶ μὴν κατὰ τοῦ ἀπείρου ὡς μὲν ἀνωτάτω ἢ κατωτάτω, οὐ δὲ*

*) Ad Lucr. II. 85.

**) Cf. 209 sqq. 984—997.

***) Cf. Gassend. animadv. p. 213 sqq.

κατηγορεῖν τὸ ἄνω ἢ κάτω. Ex iis autem, quae addit, videre licet eum de eadem re copiose disputasse, quam Lucretius ne leviter attigisse quidem videtur.

Omnia, quae de motu exposita sunt, ad motum localem*), quem Aristoteles κατὰ τόπον nominat, spectant. Nec vero alium motum Epicurus agnovit. Nam omnem motum μεταβάσιν ἀπὸ τόπου εἰς τόπον esse dixit**). Ad illum autem localem motum Epicurus secutus Democritum rerum ortus, interitus, mutationes, qualitates revocavit***). Sed non solum motu atomorum verum etiam figura et magnitudine qualitates rerum efficiuntur.

Epicurum atomis magnitudinem dedisse mirum non est. Voluit enim atomos corpora esse. Sed quamquam multum Epicuri interfuit atomis magnitudinem esse, tamen id praecipue efficere studuit, ut atomi maxima parvitate essent, ne oculis perspicerentur†).

*) Ad hunc motum duo alia motus genera, quae Aristoteli placent, facile ab Epicuro referuntur. Aristoteles enim sic apud Stob. ecl. phys. I, 19, 1: Τῶν δὲ κινήσεων τὰς μὲν εἶναι κατὰ τὸ ποσόν, τὰς δὲ κατὰ τὸ ποιόν, τὰς δὲ κατὰ τόπον. κατὰ μὲν τὸ ποσὸν αὐξῆσιν καὶ μείωσιν, ἐν προόδῳ καὶ ἀφαιρέσει. In eadem sententia Epicurus est, sed haec ipsa „πρόοδος“ et „ἀφαιρέσεις“ ei nihil aliud quam motus localis sunt. Adduntur apud Stobaeum haec: Κατὰ δὲ τὸ ποιὸν ἀλλοίωσιν καὶ μεταβολήν, ὡς τὴν ἐκ θερμοῦ εἰς ψυχρόν, ἐκ γλυκέος εἰς πικρόν. Etiam mutationem Epicurus ad atomorum motum revocat; ad ipsas atomos eam pertinere negat. Sed de hac re postea plura, si de Lucretio exponemus.

Ceterum Sextus Empiricus sex motus genera Aristoteli placuisse refert his verbis: Ὁ μὲν Ἀριστοτέλης ἐξ εἰδῶν τῆς κινήσεως ἔλεγεν ὑπάρχειν, ὧν τὸ μὲν τι εἶναι τοπικὴν μεταβάσιν, τὸ δὲ μεταβολήν, τὸ δὲ γένεσιν, τὸ δὲ φθοράν, τὸ δὲ αὐξῆσιν, τὸ δὲ μείωσιν. Sed haec sex genera facile ad illa tria, quae apud Stob. l. l. Inveniuntur, referri possunt. Motus enim localis est is motus, qui fit κατὰ τόπον, mutatio, ortus, interitus sunt ii motus, qui fiunt κατὰ ποιόν; incrementum denique et decrementum κατὰ ποσόν fiunt.

Plato tantummodo duo motus genera discernenda esse docet: alterum quod in loci variatione positum sit, alterum quod in mutatione rerum natura cernatur. Hoc nominat ἀλλοίωσιν, illud περιφοράν. Theaet. p. 181.

***) Haec motus definitioni quam illud occurrere nonnulli dicerent, rotam, quae circa ipsius axem se converteret, quamquam moveretur, tamen si axis stare, loco suo non cedere, Epicurei motum migrationem esse de loco in locum sive totius corporis sive partis ipsius dixerunt. Stob. ecl. phys. I, 19, 3. 17; Sext. Emp. adv. math. X, 41. 51 sq. Cf. Gassend. animadv. p. 450.

***)) De hac re quomodo Epicurus senserit, optime perspicitur ex Sext. Emp. adv. math. X, 42 — 44. Sunt enim apud Sext. Emp. haec: Καίτοι τινὲς τῶν φυσικῶν, ἐξ ὧν ἐστὶ καὶ ὁ Ἐπίκουρος, τὴν μεταβλητικὴν κίνησιν εἶδος ἔλεξαν εἶναι τῆς μεταβατικῆς· τὸ γὰρ μεταβάλλον κατὰ ποιότητα σύγκριμα πάντως κατὰ τὴν τῶν συγκεκρικτικῶν αὐτὸ λόγῳ θεωρητῶν σωμάτων τοπικὴν τε καὶ μεταβατικὴν κίνησιν μεταβάλλει. ὅσον ἵνα τι ἐκ γλυκέος γένηται πικρόν ἢ ἐκ λευκοῦ μέλαν, δεῖ τοὺς συνεστακτικὰς αὐτὸ ὄγκους μετακοσμηθῆναι καὶ ἄλλην ἀντὶ ἄλλης μᾶζιν ἀναδέξασθαι· τοῦτο δ' οὐκ ἂν ἄλλως συμβαίη, ἐὰν μὴ μεταβατικῶς κινήθωσιν οἱ ὄγκοι.

†) Quod refert Dionysius episcopus Alexandrinus ap. Euseb. praep. ev. XIV, 23: Ὁ δὲ Δημόκριτος μέγιστας εἶναι ἀτόμους ὑπέλαβεν, et Stob. ecl. phys. I, 14, 1: Ἀνατὸν εἶναι κοσμομαίαν ὑπ-

Alia autem causa, cur atomos minimas esse voluerit, in eo sita est, quod, quum multas res minutissimas esse videret, harum atomos multo minores reddere coactus est. Quod optime ex Lucretio cognoscitur, qui saepissime atomorum parvitatem ex rerum parvitate deduxit. Hos tantum versus afferam:

Primum animalia sunt jam partim tantula, quorum

tertia pars nulla possit ratione videri.

horum intestinum quodvis quale esse putandumst!

quid cordis globus aut oculi? quid membra? quid artus?

quantula sunt! quid praeterea primordia quaeque,

unde anima atque animi constet natura necessumst?

nonne vides quam sint subtilia quamque minuta? IV, 114—120.

Magnitudinem autem atomorum Epicurus, quem secutus est Lucretius*), non eandem sed variam esse apud Diog. Laert. X, 55 dicit et addit haec: *Βέλτιον γὰρ καὶ τούτου προσόντιος τὰ κατὰ τὰ πάθη καὶ τὰς αἰσθήσεις γινόμενα ἀποδοθήσεται*. Ex quibus verbis colligi potest Epicurum etiam ad doctrinam de atomorum magnitudine confirmandam ex simulacris argumenta repetivisse**). Varia enim atomorum magnitudine explicare posse sibi visus est, cur simulacra alios sensus moverent, alios non moverent, quod Gassendus***) sic exponit: „Nam circa sensus quidem causa cur imagines ex rebus advenientes visum moveant, non moveant auditum, olfactum et ceteros sensus, petetur non incongrue ex subtilitate earum atomorum, ex quibus constant imagines, quippe quibus affici tenuis delicataque organi visus textura possit, non possit vero textura crassior rudiorque organi auditus: non item adhuc crassior rudiorque organi olfac-

ἀρχεῖν ἄτομον, recte se habere non potest. De Stob. vid. p. 2 not. 5. Atomi ingentis magnitudinis nec Democrito nec Epicuro placuerunt. De Epicuro affirmat Mullach. Democriti operum fragm. p. 379. Cf. Hildebr. 1 l. p. 35. Melius rem perspexit Steinhart, qui de hac re sic judicat: „Democritus hatte angenommen, dass die Atome wie an Zahl, so an Grösse unbestimmbar, also unendlich klein seien (Diog. IX, 44: *Καὶ τὰς ἀτόμους δὲ ἀπείρους εἶναι κατὰ μέγεθος καὶ πλῆθος*); auch diesen speculativen Gedanken verflachte Epicur, indem er wohl die erstere Bestimmung annahm, die letzte, scheinbar schwierigerere, aber verwarf, weil ja dann jeder begrenzte Körper aus unendlich vielen kleinen Theilchen bestehen würde (Diog. X, 56: *Οὐκ ἄπειροι ὄγκοι ἐν ὀρισμένῳ σώματι*). Darum zog er vor, zu sagen die Atome seien wohl klein, kleiner, als jeder sichtbare Körper (X, 59: *Μικρότητι διαφέρει τοῦ κατὰ τὴν αἴσθησιν θεωρουμένου*), aber doch nicht unendlich klein, wie ihnen überhaupt nicht jede beliebige Grösse zukommen könne (X, 55: *Οὐ πᾶν μέγεθος ἐν ἀτόμοις*.)

*) II, 385. 393. 225 sqq.

**) Cf. dissert. inaug. meae p. 18 sq.

***) Animadv. p. 408.

tus“ sqq. Idem autem in ipsis imaginibus quoque positum est, quippe quae subtilitate interse differant et tenuiores vel crassiores esse possint *).

Lucretius quum doctrinam de simulacris libro quarto tradat, rem, de qua agimus, in libro secundo**) leviter tantummodo attingit nec nomen atomorum praebet. Accuratius in eodem libro***) varios sensus ad atomorum figuras refert. Sed ne haec quidem disputatio, quae doctrina de simulacris nitatur, plane perspicui potest, nisi liber quartus antea perlectus sit..

Denique Epicurus decrevit atomos inter se differe figura †), quae quum ad res creandas maxima gravitate sit, copiose a Lucretio tractatur II, 333 sqq. In hac autem disputatione poeta etiam magnitudinem respicit, quam a figura sejungere non vult.

Tres autem causas affert Lucretius, cur atomorum variae figurae ponendae sint. Prima enim atomorum infinitate nititur, in qua omnes atomos eadem figura praeditas esse non posse poeta contendit v. 338—341. Altera causa ex rerum varietate sumpta est, quam non solum ex diversis rerum generibus intelligi verum etiam in hoc animadverti, quod res ejusdem generis omnes inter se diversae sint, Lucretius docet. Hanc autem tantam omnium rerum diversitatem, quam poeta tribus exemplis uberius depingit ††), effici non posse nisi variis atomorum figuris confirmare conatur v. 342—376. Tertia denique causa eodem spectat quo prima; addit autem Lucretius atomos non aliter omnes prorsus eadem figura esse posse, nisi a quo quasi manu ad certam formam factae essent, id quod minime credendum sit: immo atomos ex aeterno tempore per se exstare. V. 377—380.

Hanc de variis atomorum figuris doctrinam ut describendis figuris ipsis amplius illustret et comprobet, Lucretius de nonnullis rebus disputat, quarum certas et inter se diversas qualitates ex nulla alia causa quam ex diversis principiorum formis, quibus quidque constet, repeti posse demonstrat v. 381 — 477.

*) De simili Empedoclis sententia cf. Plat. Men. p. 76. Plut. de plac. phil. I, 15.

**) V. 683 — 687.

***) V. 398 — 443.

†) Democritus atomos ob figuras, quibus ex aeterno tempore praeditae sunt, „ιδέας“ appellavit. Plut. adv. Col. 8; cf. Aristot. phys. III, 4. Disputavit autem de atomorum figuris iis libris, quos *περὶ ιδεῶν* et *περὶ τῶν διαφερόντων ἕνσμων* scripsit. Sext. Emp. adv. mathem. VII, 137. Diog. Laert. IX, 47. *Ῥυσμός* enim, quae vox Abderitana est, apud Democritum figuram significat. Cf. Suid. s. v. *ἕνσμός* et Aristot. met. I, 4. Coniicere igitur licet Democritum de atomorum figuris copiose exposuisse. Nam quum Aristoteles tradit: *Ποῖον δὲ καὶ τί ἐκάστου τὸ σχῆμα στοιχείων, οὐδὲν ἐτιδιώρισαν, ἀλλὰ μόνον τῶ πνεὶ τὴν σφαῖραν ἀπέδωκαν* (sc. Leucippus et Democritus), tantum de elementis quae vocantur dicit. De coelo III, 4.

††) Cf. Philol. XXIV, 3 p. 439 sq.

Quamquam autem atomorum figuras varias esse arbitratur, tamen „primordia rerum finita variare figurarum ratione“ tradit, id quod v. 478 sqq. exponit.

Sed decretum a Democrito et Epicuro repetendum est. Democritus enim ut ingentis rerum varietatis causam redderet, atomos infinitis formis inter se differre decrevit*). In qua re Epicurus a Democrito recessit. Nam quum quaerens, quomodo atomorum figurae effectae essent, easdem ex vario ordine variaque positura miniarum partium atomorum nasci statueret, recte intellexit minimas partes quoniam finito numero essent, finitam variarum compositionum summam conficere necesse esse**). Ex quo intelligi docuit atomorum varias formas esse finitas. Quamquam autem formarum varietatem infinitam esse negavit, tamen eam finitam non posuit, sed talem, quae eo gitando nullo modo comprehendendi posset, quam „ἀπερίληπτον“ nominavit***). Censuit enim aliter tantam rerum diversitatem effici non posse, ut videre licet ex Diog. Laert. X, 42, ubi haec leguntur: *Ἡρὸς τε τοῖσις τὰ ἅτομα τῶν σωμάτων καὶ μεσιὰ ἐξ ὧν καὶ αἱ συγχρίσεις γίνονται, καὶ εἰς ἃ διαλύονται, ἀπερίληπτά ἐσσι ταῖς διαφοραῖς τῶν σχημάτων· οὐ γὰρ δυνατόν γενέσθαι τὰς τοσαύτας διαφορὰς τῶν σχημάτων (sc. τῶν συγχρίσεων) ἐκ τῶν ἀτόμων περιειλημμένων†).* Lucretius autem Epicurum in hoc quidem sequitur, quod atomos finitis figuris inter se differre docet, sed incomprehensibilem atomorum diversitatem ne commemorat quidem. Argumenta enim, quae supra explicavimus, nullo modo ad incomprehensibilem varietatem spectant sed id tantummodo comprobant, atomos non eadem sed dissimili forma esse, quum Epicurum eodem argumento, quod apud Lucretium secundum invenitur, incomprehensibilem formarum varietatem efficere voluisse ex l. l. intelligatur.

Finem autem atomorum varietatis esse Lucretius duabus rationibus confirmare conatur. Lucretius enim atomorum figuras e minimarum partium varia compositione repetens dilucide ostendit majorem formae varietatem postulare majorem minimarum partium numerum majoremque corporis extensionem.

*) Aristot. de gener. et corr. I, 2: *Ἐπεὶ δ' ὄντιο (sc. Democritus et Leucippus) τὰληθές ἐν τῷ γαίνεσθαι, ἐναντία δὲ καὶ ἄπειρα τὰ γαινόμενα, τὰ σχήματα ἄπειρα ἐποίησαν.* Cf. de coelo III, 4; de anim. I, 2; Simpl. in phys. f. 7. 177; Tiedemann, Geist der speculativen Philosophie I, 229.

***) Cf. quae ad hanc rem explicandam attuli dissert. inaug. p. 24 sqq.

***) De hac re Steinhart non injuste sic judicat: „Epicur stiess sich an dem Satze des Democritus, dass die Anzahl der Figuren, welche den Atomen ursprünglich zukomme, unendlich sei, woraus dann die unendliche Mannigfaltigkeit von Gestalten der sichtbaren Dinge hervorgehe und corrupirte ihn wieder mit der unglücklichen Formel, dass die Verschiedenheiten der Atome nicht gradehin unendlich, sondern nur unbegreiflich und nicht wahrnehmbar wären.“

†) Plat. de hac re parum accurate: *Ἐπίκουρος δὲ ἀπερίληπτα εἶναι τὰ σώματα.* De placit. phil. I, 12. Quin etiam ib. I, 3: *εἶναι δὲ τὰ σχήματα τῶν ἀτόμων περιληπτά, οὐκ ἄπειρα.*

Ergo, inquit, formarum novitatem corporis augmen-
 subsequitur, quare non est ut credere possis
 esse infinitis distantia semina formis,
 ne quaedam cogas inamani maximitate
 esse, supra quod jam docui non posse probari. II, 495—499.

Ex qua argumentatione, quae legitur l. II, 478—499, fortasse quispiam suspicetur
 Lucretium quum magis quam Epicurus corporis augmen metuerit, formarum varietatem
 parvam esse decrevisse. Quae suspicio eo augetur, quod perspicuum est Lucre-
 tium eodem jure, quo infinitam formarum varietatem nonnisi atomorum nonnullarum
 infinita magnitudine effici contendit, etiam id affirmare posse, maximam figurarum
 diversitatem magnas quasdam atomos postulare et cum atomorum parvitate pugnare.
 Quamquam autem Lucretius infinitam atomorum diversitatem refutans haec ait:

Namque eadem unius cujusvis in brevitate*)
 corporis inter se multum variare figurae
 non possunt. II, 483—485,

tamen minime credendum est cum docere atomos exigua formarum varietate esse. Id
 enim, ut rem breviter conficiam, ipsis poetae verbis, quibus doctrinam de atomorum
 formis incipit, aperte repugnat. Secunda ratio, quae versibus 500—521 continetur, ex
 naturae constantia ordineque sumpta est. Continetur enim eo, quod, si atomorum figurae
 infinitae essent, ii, qui nunc animadvertuntur, rerum qualitatum certi et definiti fines
 non essent, quoniam foret, ut rerum qualitates eadem infinitate essent atque quibus
 efficiuntur, atomorum figurae.

Jam vero quum ex hac argumentatione tum praesertim ex iis versibus, qui sequuntur,
 quorum V. 581—588 potissimum commemoro, aliquis conjiciat Lucretium in hac esse senten-
 tia, atomorum totidem diversas figuras esse atque rerum varia genera, formas, quali-
 tates, vires, potestates**). At idem Lucretius docet varias rerum qualitates non solum

*) Vid. quae ad hunc locum adnotat Brieger Philol. XXIV, 3 p. 446.

***) De hac re non recte judicat Ritterus, qui Lucretium ab Epicuro in eo recessisse censet, quod non
 solum incomprehensibilem esse primarum figurarum numerum statuerit, sed varietatem atomorum eadem infinitate
 esse, qua ipsae atomi essent, aperte affirmasse. Gesch. d. Phil. IV, p. 98. Talem sententiam Lucretii versus,
 quos Ritterus affert, nempe l. II, 333 sqq. 378 sqq. nullo modo probant, quoniam omnino de atomorum varie-
 tate agunt. Itaque cur iidem ad infinitam varietatem spectent, nulla causa neque apud Ritterum legitur, neque
 omnino reddi potest. Ritteri sententia autem l. II, 478 sqq. plane refellitur. Nam hoc loco Lucretius non solum,
 ut Ritterus vult, id negat, atomis quamvis magnitudinem esse, sed id ipsum aperte et perspicue contendit, formarum
 diversitatem infinitam non esse, aut quaedam primordia infinita magnitudine futura esse. Denique Ritterum errare
 disertissime et planissime ea ostendunt, quibus Lucretius numerum atomorum earum, quae sint ejusdem formae,
 infinitum esse confirmat l. II, 522 sqq. Totum enim argumentum hoc ipso continetur, quod formarum numerus
 finitus est.

in variis atomorum figuris positas esse sed etiam varia atomorum compositione varioque situ ac motu effici. Itaque atomorum varietatem eandem atque rerum Lucretio placere verisimile non est; quo modo autem de atomorum figurarum multitudine sentiat, aperte non dicit.

Lucretius autem postquam ex infinitate et atomorum et vacui Epicuri placitum deduxit, atomos quippe quarum figurae finite variae sint, sub unoquoque figurarum genere infinitas esse*), dubitationesque quasdam removit (v. 522—568), paucis exponit, quo modo res ex atomis gignantur (v. 569—729), de qua re jam antea nonnulla tradidit. Hanc ergo doctrinam jam explicabimus.

Epicurus enim secutus Democritum**) sicut Empedocles, Anaxagoras, alii***) ortum et interitum rerum sustulit eosque nihil aliud esse nisi atomorum concretionem (σύγκρισιν †) vel dissipationem (διάκρισιν) decrevit ††). Et eam quidem conjunctionem dixit, qua atomi naturam suam retinent et superficiebus inter se tantummodo contingant, non penetrant, quam conjunctionem Aristoteles σύνθεσιν appellat †††). Res igitur genitae ex Epicuri sententia nihil aliud sunt nisi atomorum compositiones. Itaque quum atomi non gignantur sed a principio exstant, in rebus procreandis nihil novi nascitur. Materies enim jam ante ortum cujusque rei exstat, neque quidquam aliud nascitur, nisi atomorum compositio. Haec autem non per se est sed tantummodo materiae accidens, quod neque extra materiam neque sine materia esse potest. Nec vero quidquam in rerum interitu perit. Nam quum mors rerum non nisi atomorum dissolutione contineatur, atomi autem aeternae et immortales sint, nihil interire potest, nisi atomorum conjunctio, quae quidem per se non est.

Rerum igitur ortum et interitum, veluti mutationem et immutationem (ἀλλοίωσιν

Eodem modo Hildebrandt errat, qui Ritterum secutus censet l. I p. 35 sq. ex Lucretii sententia singula uniuscujusque figurae primordia non paria sed similia tantum esse, ita ut tanta formarum varietas exsistat, quanta atomorum multitudo est. Haec sententia nullo modo ex l. II, 378 sqq., quos versus Hildebrandt affert, colligi potest.

*) Diog. Laert. X, 42: Καὶ καθ' ἐκάστην δὲ σχημάτισιν ἀπλῶς ἄπειροί εἰσιν ἄτομοι, ταῖς δὲ διαφοραῖς οὐχ ἀπλῶς ἄπειροι, ἀλλὰ μόνον ἀπερίληπτοι.

**) De Democrito vide Braudis Gesch. d. Phil. I p. 313 sqq.

***) Stob. ecl. phys. I, 20, 1; Simpl. phys. fol. 34 b.

†) Eodem spectant voces „περιπλοκή“ apud Diog. Laert. X, 44 et „δύνησις“ ib. X, 90.

††) Plut. de plac. phil. I, 24: Ἐμπειδοκλῆς δὲ καὶ Ἐπίκουρος καὶ πάντες ὅσοι κατὰ συνθερισμὸν τῶν λεπτομερῶν σωμάτων κοσμοποιοῦσι, συγκρίσεις μὲν καὶ διακρίσεις εἰσάγουσι, γενέσεις δὲ καὶ φθορὰς οὐ κυρίως.

†††) De gen. I, 10.

et μεταβολήν), decrementum et incrementum ad atomorum motum revocanda esse Epicurus censet*). De motibus autem atomorum, quibus rerum mutationes efficiuntur, haec sunt Epicuri verba: Ἐπειδήπερ δεῖ τι ὑπομένειν ἐν ταῖς διαλύσεσι τῶν συγκρίσεων σιερῶν καὶ ἀδιάλυτον, ὃ τὰς μεταβολὰς οὐκ εἰς τὸ μὴ ὄν ποιήσεται, οὐδ' ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, ἀλλὰ κατὰ μεταθέσεις ἐν πολλοῖς· ἐπὶ τινῶν δὲ κατὰ προσόδου καὶ ἀφόδου. Diog. Laert. X, 54. Tria igitur mutationis genera Epicurus tradit, quamquam ea plerumque inter se conjuncta animadverti censet. Primum genus, quod κατὰ μείωθαι vocatur, ea mutatio**) est, in qua eadem materia manet, neque quidquam aliud immutatur nisi partium ordo. Alterum genus est κατὰ πρόσοδον. Ad hoc eae mutationes referendae sunt, quae atomorum adventu efficiuntur velut rerum incrementum. Forsitam Epicurus ad hoc genus etiam eas res revocaverit, quae e semine nascuntur. Ad tertium denique genus, quod κατὰ ἀφόδον appellatur, pertinent, quae sic gignuntur, ut ex aliis rebus quaedam partes separentur, proinde atque ignem e partibus, quae a ligno segregatae sint, oriri Lucretius in libro primo docet. Quibus expositis magis perspicui erunt hi Lucretii versus:

Nunc igitur quoniam certissima corpora quaedam
sunt, quae conservant naturam semper eandem,
quorum abitu aut aditu mutatoque ordine mutant
naturam res et convertunt corpora sese . . . I, 675 sqq.

Praeterea Lucretius de hac re multis aliis locis libri primi exponit veluti V. 250—264.***) 798—802. 817—829. 907—914.†) Ad mutationem eam, quae dicitur κατὰ παράθεσιν vel κατὰ πρόσοδον, referenda sunt, quae continentur I. I, 322—328. Motum ad res procreandas necessarium esse Lucretius saepe affirmat velut I. I, 342—345. II, 26 sq. 221—224. 242.

Omnia igitur quaecumque fiunt, ex atomorum motu pendent. Sed quum atomorum motus certis constantibusque legibus non regatur sed praecipue propter declinationem, quae fit incertis locis et temporibus, temere fit et casu, nonne consentaneum est, eundem casum et eandem inconstantiam etiam in omnibus, quae geruntur, inveniri naturamque omnibus certis legibus carere et casui subjectam esse? Nec vero Epicurus

*) Cf. p. 13.

**) Quomodo Epicurus rerum mutationes ab ortu et interitu distinxerit, neque ex illius reliquiis neque ex veterum testimoniis cognoscitur. Fortasse ipse non aperte exposuit, quid inter mutationes rerum et ortum interitumque interesset. Certè in eadem negligentia Aristoteles de gen. et. corr. I, 8 Empedoclem vituperat.

***) Cf. dissert. a me edit. p. 10.

†) De hoc loco ib. p. 33.

constantiam naturae ordinemque, quae doctrina de atomorum motu tolluntur, aliis placitis tuitus esse videtur. Immo eum id potissimum secutum esse, ut certas ac definitas leges in natura esse negaret, omniaque casu et fortuita fieri*) comprobaret, Ritterus**) contendit. Et sane quidem Ritteri sententia probanda esse videtur, si reputamus, Epicurum ad atomorum declinationem casum revocasse***) eundemque contra physicos, qui leges naturae indagare conabantur, disputantem id maxime spectavisse, ut rerum coelestium certas causas non esse sed eas aliis temporibus aliis causis effici confirmaret.

Sed quaecumque Epicurus de naturae legibus sensit, Lucretius certe quamquam magistrum sequens atomos declinare docet, tamen constantiam et ordinem in natura esse nullo modo negat. Quod enim libro quinto et sexto coelestium rerum complures causas reddit eosque deridet, qui unam tantummodo ejusque rei causam profitentur, longe aliud spectat atque Epicurus. Nam non id docet, eandem rem nunc hanc causam nunc illam habere, sed quum rei difficillimae et maxime obscurae veram causam vix inveniri posse persuasum habeat, †) complures causas profert, quarum unam tantummodo veram esse arbitratur ††)

Itaque postquam complures siderum motuum causas protulit, haec ait l. V, 526—533:

Nam quid in hoc mundo sit eorum ponere certum
difficile est: sed quid possit fiatque per omne
in variis mundis varia ratione creatis,
id doceo, plurisque sequor disponere causas,
motibus astrorum quae possint esse per omne;
e quibus una tamen siet hic quoque causa necessesse,
quae vegeat motum signis: sed quae sit earum
praecipere hautquaquamst pedetemptim progredientis.

Maxima autem gravitate naturae constantia in Lucretii philosophia est et plurimum ad

*) Longe alia Democriti et Leucippi sententia fuit. Stob. ecl. phys I, 4, 7: *Αεύκιππος πάντα καὶ ἀνάγκη, τὴν δ' αὐτὴν ὑπάρχειν εἰμαρμένην*. λέγει γὰρ ἐν τῷ περὶ νοῦ „οὐδὲν χρῆμα μάνην γίγνεται, ἀλλὰ πάντα ἐκ λόγου τε καὶ ἐπ' ἀνάγκης. Cf. Aristot. phys. II, 4.

**) Gesch. d. Phil. III, p. 484 sqq.

***) Cf. p. 11.

†) Diog. Laert. X, 93—95, 97, 98, 113. Cf. Steinhart l. l. p. 474 sq.

††) Etiam Democritus libere confessus est se multarum rerum causas ignorare; sed quam diversa ab Epicuri sententia haec Democriti vox est: *Μὴ πάντα ἐπίσταςθαι προθύμω μὴ πάντων ἀμαθῆς γένυ.*

†††) Cf. Ritter l. l. p. 95.

argumentandi rationem valet. Itaque fit, ut saepe naturae „foedera“ attribuat*) et saepe affirmet unamquamque rem certos et definitos fines habere, extra quos egredi nequeat, certam magnitudinem, formam, certum colorem, certum denique crescendi et moriendi tempus. Sed ne repetam, quae jam antea allata sunt, hos tantum versus addam l. V, 55 sqq:

Cujus ego ingressus vestigia dum rationes
persequor ac doceo dictis, quo quaeque creata
foedere sint, in quo quam sit durare necessum
nec validas valeant aevi rescindere leges.

Optime autem Lucretii de naturae legibus rerumque constantia iudicium cognoscitur ex his versibus:

Denique jam quoniam generatim reddita finis
crescendi rebus constat vitamque tenendi,
et quid quaeque queant per foedera naturae
quid porro nequeant, sancitum quandoquidem extat,
nec commutatur quiequam, quin omnia constant
usque adeo, variae volueres ut in ordine cunctae
ostendant maculas generalis corpore inesse,
immutabili materiae quoque corpus habere
debent. . . . I, 584 sqq.**

Tantae constantiae et ordinis contemplatione interdum ad id provehitur, ut naturae tamquam animanti vires et actionem tribuat, quamquam ex reliquis poetae placitis intelligi necesse est naturam nihil aliud esse nisi compositionem corporum nullo sensu praedictorum.***) Itaque multa naturae nomina apud Lucretium inveniuntur, quae ad actionem et mentem pertinent, velut „rerum creatrix“****); „natura gubernans“†); „daedala“††); „perfica“†††). Huc etiam hi versus spectant I, 56 sq.:

Unde omnis natura creet res, auctet, alatque;
quoque eadem rursus natura preempta resolvat.

*) II, 302; cf. v. 310 sqq. 320 sqq. a. l.

**) De hac ratione, qua Lucretius immutabilitatem atomorum comprobare vult, Steinhart ait: „Es mag dem Lucretius, der überhaupt nicht selten über Epicur hinaus ist, entschlüpft sein, von Epicur selbst ist es gewiss nicht.“ l. l. p. 473 not. 80.

***) Cf. I, 328. 1008—1011. II, 369. 713. 879. 1090. 1116 sqq. 1149.

****) V, 1360.

†) V, 77.

††) V, 234.

†††) II, 1116.

Quod Lucretius quamquam negat res ullo consilio regi et temere ac fortuito fieri, tamen vim quandam procreandi agnoscit, quam paene mente ac ratione instruit, idem ad poetae quidem ingenium, vigorem, naturae denique studium et amorem revocandum est, sed poeta sic de natura non sensisset, nisi omnia certis legibus regi persuasum habuisset. De hac Lucretii sententia verissime Ritterus iudicat. Itaque nonnulla illius viri verbi afferam: „Lucrez liebt den Begriff der Zufälligkeit nicht und selbst die freie Bewegung des Willens denkt er sich nicht ohne ein Gesetz, nach welchem er sich bildet“ (*). „Die Natur ist die einzige Göttin, welche er verehrt; ihre heilige Gesetzmässigkeit will er verkünden, wie sie alles schafft, alles nach einem bestimmten Maasse seines Gesetzes wachsen und dann auch wieder abnehmen lässt“ (**). Ex eadem causa factum est, ut Lucretius simulatque doctrinam de atomorum declinatione tradidit, qua constantiam et ordinem naturae funditus deleri fortasse ipse suspicatur, quasi ad universi immutabilitatis contemplationem confugiat, praecipueque atomorum motus semper eodem manere contendat, affirmans ex infinitate universi existere, ut nihil neque adveniat neque abeat, quo atomorum motus mutari possint. Atque ex hoc, quod atomi in eodem motu, quo sint, semper et fuerint et futurae sint, intelligi dicit leges, quibus res regantur, semper easdem manere (**).

Sed licet atomorum motus nulla vi, quae extra universum sit, immutetur, tamen quum ipsae atomi temere et casu moveantur, nondum patet, quomodo naturae constantia efficiatur. Et certe quidem Lucretius illam alio modo stabilire conatur, quod imprimis ex iis versibus perspicitur, qui disputationem de atomorum figuris sequuntur, quibus, ut supra dixi, ortum rerum poeta describit. Haec enim est Lucretii sententia: Atomi, quarum singulae formae singulas rerum qualitates et virtutes efficiunt — ex qua re fit, ut res quoniam variis facultatibus praeditae sunt, e variis atomis constant et quidem ex totidem atomorum generibus, quot facultates habent †) — atomi igitur non solum secundum motum fortuitum nec sine lege quadam junguntur, sed sic, ut paria cum paribus, similia cum similibus conveniant ††). Itaque non omnia in omnibus esse possunt, sed ea tantummodo junguntur, quae quoniam inter se convenientia sunt, certam naturam efficere valent; ea autem, quae huic repugnant et aliena sunt, repelluntur. Nec vero id in atomos solum cadit, verum etiam in iis compositionibus animad-

*) Gesch. der Phil. III, p. 94.

**) Ib. p. 90.

**) II, 294—307.

†) II, 581—599. I, 803—816. 893—896. 901—906.

††) II, 700—729. In simili sententia Empedoclem fuisse notum est. Sext. Emp. adv. mathem. VII, 117.

vertitur, quae quum primae ex atomis gignantur, quasi proxima rerum semina sunt. Haec dicit Lucretius, quum exponit*) res generari et ex pluvio humore, qui de coelo adveniat, et ex ipsa terra.

Novam igitur et ab Epicuri doctrina alienam vim**) inducit Lucretius: convenientiam vel concordiam, quae atomos inter se convenientes ad res procreandas et conjungit et certa compositione afficit, ut unaquaeque res quoniam e certis atomis certa ratione composita est, certam et definitam naturam habeat et certo modo ab aliis differat***).

Itaque Lucretius quum Democritum et Epicurum sequens terram ob latitudinem aëre ferri docet, non ignorans futuros esse, quibus tam grave corpus quantumvis latum sit, tamen aëri sustentari non posse videatur, hanc addit causam: terram et aërem neque temere inter se conjuncta esse, neque alterutrum ab altero alienum sed ambo concorditer inter se congruere et eodem tempore genita cognatione quadam apta inter se colligataque esse†). Quanta autem gravitate atomorum convenientia sit, ex iis, quae poeta libro quinto de mundi rerumque origine tradit, plane perspicitur. Lucretius igitur quamquam in hoc Epicurum sequitur, quod mundum ex atomis, quae temere convenerint, creatum esse statuerit ††), tamen vim convenientiae introducens tradit naturam quum magis magisque similia cum similibus conjungeret, ab imperfectis rebus ad perfectiores processisse. Itaque id quidem fingit, terram primo portenta miris membris miraue facie praedita procreavisse velut androgynos aliaque ejusdem generis, sed eadem quia imperfecta natura fuerint, conservari non potuisse affirmat †††). Nec vero quamquam Empedoclem imitans portenta fuisse arbitratur, Empedoclis exemplo permovetur, ut animalia ex membris diversorum animalium composita, sicut centauros et alia monstrosa animalia,

*) II, 991 sqq.

**) Novi igitur aliquid Lucretius attulit philosophiae Epicuri, apud quem omnia casu reguntur. Quin etiam eum res ex dissimilibus atomis nasci decrevisse Sextus Empiricus refert his verbis: *Οἱ περὶ τὸν Δημόκριτον καὶ Ἐπίκουρον εἰς ἀνομοίων τε καὶ ἀπαθῶν τοῦτέστι τῶν ἀτόμων.* Adv. math. X, 318. At cum Lucretii sententia magis conveniant, quae de Leucippi doctrina leguntur apud Diog. Laert. IX, 31: *Γίνεσθαι δὲ τοῖς κόσμοις οὕτω· Φέρεσθαι κατ' ἀποιομήν ἐκ τῆς ἀείρου πολλὰ σώματα, παντοῖα τοῖς σχήμασι, εἰς μέγα κενόν· ἅπερ ἀθροισθέντα δίνην ἀπεργάζεσθαι μίαν, καθ' ἣν προσκρούοντα καὶ παντοδαπῶς κυκλούμενα διακρίνεσθαι χωρὶς τὰ ὅμοια πρὸς τὰ ὅμοια.*

***) Cf. Gassend. animadv. p. 195. 406; Reisack. quest. Lucr. p. 29 sq.

†) V, 534 sqq.

††) I, 1021—1028. II, 1058—1066. V, 187—194. 416—431. Cf. Diog. Laert. x, 73; Plut. de plac. phil. I, 4; Gassend. ib. p. 639 sqq.

†††) V, 834—851.

e terra nata esse fingat. Nam convenientiae concordiaeque repugnare censet, quod illorum animalium partes aliae aliis temporibus ad juventutem vel ad senectutem perveniant et alteri idem prosit, quod alteri noceat. Talia igitur animalia nec esse ne ullo tempore fuisse iudicat. Quamquam igitur in enarranda mundi rerumque origine multa mira et inaudita refert, tamen semper leges quasdam, quibus omnia gerantur, agnoscit, studiumque fingendi cohibet, ne narret, quae naturae constantiae vel ordini repugnent. Quapropter ne „tellure nova coeloque recenti“ quidem illa animalia gigni potuisse affirmat, quia „in hoc uno novitatis nomine inani“ niti non vult, et quoniam „vis quaeque suo ritu procedit et omnes foedere naturae certo discrimina servant“*).

Praeterea ad convenientiae et concordiae vim, quae omnia in omnibus esse non concedit, placitum illud referendum est, terram vel partes ejus sensu praeditas non esse, nedum, ut Stoicis placuit, divino sensu affectae sint**). Eadem autem concordiae et convenientiae vis in doctrina de simulacris animadvertitur, qua Lucretius Epicurum sequens docet omnia, quae sensibus percipiuntur, ad effluvia, quae de rerum superficie in sensus deferantur, revocanda esse. Illa autem effluvia in quoslibet sensus penetrare non posse sed tantummodo in eos, quorum atomi eadem figura, magnitudine, compositione sint atque e quibus rerum effluvia constant. Sensus igitur eas imagines, quae ipsis congruentes sint, recipere, aliis vero non moveri***).

Nec vero ex Lucretii opinione ortus rerum solum sed etiam conservatio convenientiae vi continetur eoque ut ad res convenientes partes adveniant, alienae autem repellantur. Sic unaquaeque res propriam naturam retinet†). Quin etiam mundus ipse, proinde atque animalia, sic augetur, ut extrinsecus partes convenientes aseiscat††). Hanc igitur concordiae vim, quae apta inter se et congrua conciliat conciliandoque res et procreat et conservat, Lucretius nomine Veneris concelebrat, quae quum animantia amore jungat, efficit, ut res gignantur et conserventur†††).

Sed in natura — Lucretii enim sententiam nostris verbis exponere pergimus — non solum ortus et conservatio animadvertuntur, verum etiam perpetuus interitus et

*) V, 875—921; cf. II, 700—709; Plut. de plac. phil. V, 19; Aristot. phys. II, 8; Ritter l. I. IV, p. 95; Empedocl. v. 388 sqq. ed. Karst.; F. G. Sturz Emped. Agrig. de vita et phil. p. 367 sqq.

***) V, 110 sqq.

****) II, 680—685; cf. Diog. Laert. X, 46 sqq.

†) II, 711—717; cf. 339 sq. IV, 682—684.

††) I, 1105—1143.

†††) I, 1 sqq.

perpetua vicissitudo, quibus singulae res subjectae sunt*). Praeter atomos enim et inane nihil est, quod aeternum vel immortale sit. Rerum autem mutabilitas et fragilitas in eo positae sunt, quod omnia inane continent ideoque externis ictibus non semper resistere possunt. Itaque quo plus vacui res quaeque habet, eo magis interitui obnoxia est**). Altera autem causa, quae ad perpetuum rerum interitum gravissima est, ex Epicuri sententia in perpetuo et ingenito atomorum motu cernitur, quae quamvis retineantur, tamen nullo tempore anniti desinunt, ut motum liberum recuperent, quo fit, ut simulatque vinculis liberatae sunt, dilabuntur et libero motu auferantur. Itaque quo solutius et laxius cohaerent, eo facilius sese ex vinculis expediunt; quo artius autem conjunctae sunt, eo difficilius ad discessum perveniunt. Hoc modo sese habent, quae dura et solida et stabilia vocantur, illo modo ea, quae rara et fragilia dicuntur. Quantumvis autem firmis vinculis atomi inter se conjunctae sint, tamen nusquam neque moveri neque vincula removere desinunt. Itaque quocumque modo inter se cohaerent, tamen tandem aliquando dissolvuntur, qua dissolutione rei mors continuo efficitur. At atomi simulatque distractae sunt, alio modo vel inter se coeunt vel cum aliis congregantur novamque rem procreant. Uniuscujusque igitur rei mortem semper alius rei ortus sequitur.

Hanc Epicuri de perpetua rerum mutatione doctrinam***) Lucretius Empedoclem imitans†) sic exprimit, ut appareat eum praeter vim concordiae etiam discordiam agnoscere, quae quum atomos distrahat, rerum efficiat interitum. Has duas vires Lucretius motus genitales et motus exitiales appellat, easque in perpetuo certamine esse

*) V, 327 sq.:

„Nec manet ulla sui similis res: omnia migrant,
„omnia commutat natura et vertere cogit“.

Cf. 380 sqq. Praeclarissime autem Lucretius rerum perpetuam vicissitudinem describit I, 250—264. II, 67—79.

***) 336 sq.

†) De hac re Hieronymus in cap. IV. Amos. haec dicit: „Res saeculi et omnia corpora juxta Epicurum per momenta fluunt et abeunt et nihil in suo consistit statu, sed vel crescunt omnia vel decrescunt et aquarum more torrentium labuntur in praeepeps.“

‡) Hoc loco Lucretius etiam nonnullos Euripidearum tragoediarum locos secutus est, id quod saepius in Lucretii poemate animadvertitur. Quamquam haec Euripidis imitatio non tam ad rem et doctrinam quam ad orationem et sermonem pertinet. Euripides enim Anaxagorae placita plerumque secutus est, inter Anaxagorae autem philosophiam et Epicurum pernitium interfuit. At Empedoclis doctrina, tota diversa quidem ab Epicurea ratione, in singulis placitis et enuntiationibus certe cum ea convenit. Itaque Lucretius ab Empedocle non solum consilium philosophiae versibus persequendae exemplumque accepit verum etiam nonnulla ejus placita ipsa recepit, hisque Epicuri philosophiam amplificavit. Sed hanc quaestionem, quam quidem admodum difficilem esse non ignoro, in aliud differam tempus. De Euripidis imitatione vid. Valken. diatr. c. 49. 51. a.; de Empedocle autem ejus editores et commentatores: Karstenium, Bergkium a. Cf. Reisack. quaest. Lucr. p. 55—63.

docet. Censet autem certamen aequum esse, quoniam, simulatque aliquid interierit, aliud procreetur.

„Quando alid ex alio reficit natura, nec ullam
rem gigni patitur, nisi morte adjuncta aliena“ I, 263 sq*).

E quibus omnibus apparet Lucretium non solum in singularum rerum consideratione et cognitione versari, verum etiam totam naturam contemplari et perspicere conari. Nec vero in natura casum inesse censet sed omnia certis legibus regi naturamque constantia et ordine praeditam esse persuasum habet. Quam constantiam etiam in interitu rerum, quo tolli videatur, inveniri putat atque — lubet enim totam Lucretii sententiam paucis comprehendere — in eo positam esse, quod unaquaeque res quoniam e certis atomis certa ratione composita sit, propriam naturam, suas vires, suas virtutes, facultates, qualitates habeat; sic effici et conservari, ut similia cum similibus et convenientia cum convenientibus jungantur, et unaquaeque res ea, quae ipsius naturae congrua sint, ad se attrahat, aliena autem repellat; eo non tolli, quod res in perpetua vicissitudine sint; ipsam enim vicissitudinem aequo concordiae et discordiae certamine effici et ortum interitumque pari potestate et vi praeditos esse. Sic igitur Lucretius magno naturae cognoscendae studio magnaue naturae constantiae admiratione impellitur, ut placita introducat, quibus in Epicurea ratione locus non est. Nam quomodo vis convenientiae, qua similia cum similibus junguntur, atomis, quae quidem nullo sensu praeditae sunt nec alia re nisi gravitate sine ullo consilio moventur, effici potest?

Ex illo autem de naturae constantia placito, quod ab Epicuri doctrina alienum est**), etiam aliae Lucretii sententiae manaverunt, quibus poeta ab Epicuro differt.

Lucretius enim quum omnia legibus certis, definitis, constantibus subjecta esse censeat, non potest, quin necessitatem quandam in natura inesse concedat, quamquam necessitatem eam, quae fato contingatur vel ad deos referenda sit, maxime respuit. At eam necessitatem, quae e constantia et legibus naturae oriatur, de rebus non repellit recedens ab Epicuro, qui operam dabat, ut omnem necessitatem, qualiscunque esset, tolleretur et funditus everteretur***). Voluit enim Epicurus necessitate remota omnia casu fieri. At quod pertinet ad hominum libertatem, Epicurei casus non alia ratio est atque necessitatis. Nam etsi omnia sine constantibus legibus fieri affirmet, tamen res sic geri,

*) Cf. II, 569—580. V, 432—448.

**) Reisack, quaest. Luer. p. 54: „In Lucretium potius quam in magistrum Epicurum maxime quadrare puto illud, quod Galenus prodit, Epicureos caecam naturam sua sponte in continuata motione et formationis processu necessitatem quandam operandi assumere et ita tanquam artificem eam apparere putasse. Galen. de foet. form. c. 17.“

***) Cf. p. 12.

ut causae in corporibus positae sint, ipse docet. Ex quo consentaneum est omnia causas habere, quae licet constantes non sint nec eadem efficiendi ratione utantur, tamen tales sunt, quibus homines plane subjecti sint. Itaque sive casu omnia fiunt, sive constantibus et definitis legibus, ad atomorum motum omnia revocantur et aequae homines ex naturae pendent necessitate*).

Haec etiam Lucretius sensisse videtur, qui quidem non solum naturae constantiam non repudiat, verum etiam vim quandam abditam, quam effugere nemo possit, introducit**). Veluti quum omnia fragilia caducaque esse videat, docet esse fati fines, qui tolli nequeant, esse foedera naturae, quae nullo modo rumpantur, validas denique vires esse, quibus nemo resistere possit***). Apertius autem et clarius Lucretii sententia elucet ex eo loco †), quo postquam homines, inductos rerum causarum inscitia, deos esse credere et saepe ab iis, quum ipsi horribilium rerum terrore capti sint, auxilium petere exposuit, considerans, quam imbecilli homines sint, et quantopere e naturae potestate pendeant, haec effert:

Usque adeo res humanas vis abditam quaedam
operit, et pulchros fascis saevasque secures
proculeare ac ludibrio sibi habere videtur.“ V, 1231—1233.

De qua re Baylus ††): „Jamais homme ne nia plus hardiment que ce poète la providence divine et cependant il a reconnu un je ne sai quoi qui se plaît à renverser les grandeurs humaines.“

Iam ex his, quae exposita sunt, intelligendum est, vitam hominum, quae caeca naturae vi regatur, miseram esse. Id ipsum autem magis adhuc iis placitis confirmatur et augetur, quae in Epicurea philosophia sunt de morte. Quamquam enim Epicurus mortem pro nihilo habuit, tamen has ipsas sententias: in natura omnia, quae nata essent, brevi tempore interire, hominibusque quum de vita decessissent omnino nihil vitae, nihil sensus, nihil denique eorum, quae antea habuissent, relictum iri, sed homines prorsus deletum iri — jucunditatem vivendi aliqua ex parte tollere animoque tristitiam quandam et severitatem afferre necesse fuit. Tantum autem a fuit, ut Epicurus hoc concederet, ut id potissimum sequeretur, ut vitam jucundam esse ostenderet, et id maxime timeret, ne vita tristis esse videretur †††). Itaque poetas vehementer improbavit, quod

*) Vid. Cic. de fato, 20.

***) Cf. Reisack, quaest. Lucret. p. 35 sq.

***) V, 306—317.

†) V, 1129 sqq.

††) Diction. hist. et crit. II, p. 835.

†††) Cf. Ritter. I. l. III, p. 459—469.

hominum vitam miseram esse quererentur, eosque derisit, quaerens, cur qui hoc crederent, non sua sponte de vita decederent*).

Prorsus alia Lucretii sententia est, qui quantuli vitam aestimet, ex ea ipsa disputatione dilucide apparet, quam extremo libro tertio ad depellendum mortis timorem instituit quaque eos, qui nimio vitae amore tenentur, graviter castigat. Duabus autem rationibus iisque ex ipsa Epicuri doctrina repetitis permovetur, ut vitae tantam miseriam et tristitiam esse contendat. Ostendit enim miseram et tristem esse hominum vitam, quo facilius mortis timorem depellat efficiatque, ut homines mortem malum non ducant, sed credant eam tristissimae vitae tantummodo finem facere. Praeterea autem quum Stoicis placeret deos omnia ad hominum utilitatem creavisse hominibusque maxime consulere, Lucretius omnem illam deorum procurationem refutaturus id agit, ut mundum plurimis et maximis vitiiis affectum esse, praecipue autem hominum vitam maxima tristitia et miseria jam inde a prima infantia esse confirmet. Itaque quum dicit infantes simulatque nati sint, locum lugubri vagitu replere, addit haec:

— — ut aequumst

cui tantum in vita restet transire malorum. V, 195—234.

Accedit autem alia causa eaque gravior, ad quam Lucretii de vitae miseria sententia revocanda est. Quod enim poeta mortis et deorum timorem repulsurus non dubitat id ipsum affirmare, miseram esse hominum vitam, ei mirum non videbitur, qui reputet, quanta sit poetae animi severitas et quam facile eam austerum quoddam de rebus humanis iudicium sequatur. Quae animi austeritas ex iis maxime apparet, quae Lucretius de contemnenda morte profert. Jubet enim homines morti libenter parere objicitque iis, qui vitam amittere nolunt, jam meliores et nobiliores mortuos esse, atque magna cum severitate negat malos miserosve ullam mortis fugiendae causam habere**). In ipso autem quam parvus vitae amor sit, ex eo loco cognoscitur, quo longam vitam bonum esse negat***). Lucretio igitur mors nullo modo terribilis est, quum necessitate naturae posci intelligat, ut quae sint, intereant intereundoque nova procreent, quorum eadem ratio sit†). Atque quum morte

*) Πίλν δὲ χεῖρον καὶ ὁ λόγων

— — καλὸν μὲν μὴ φῦναι

Φύντα δ' ὅπως ὄμισια πύλας Ἀΐδαο περῖσαι.—

εἰ μὲν γὰρ πεποιθὸς τοῦτο φησὶ, πῶς οὐκ ἀπέρχεται ἐκ τοῦ ζῆν; Diog. Laert. X, 126.

